



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

23 Ivdas Iacobi Filius. Etymon.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

J V D A S
JACOBI FILIUS;
ETYMON.

Tertium vides Orbis Parentem, Viator.
 Qui fati consilio nomen à laude sortitus,
 Gerendorum præscium, gestorum pretium,
 Id meruit adultus, quo donatus est infans,
 Ergo ne silentium rapinæ damnetur,
 Suam Judæ Etymologiam pro præconio restitue,
 Animum illum celebra magnum, strenuum, justum:
 Qualem poscebat Mundi Juventa.
 Magnitudinis fuit,
 Quod Patri se Vadem pro Beniamino devovit:
 Certus, aut raptum reducere, aut raptorem.
 Strenuitatis, quod hostiles sectas hostiliter insectatus,
 Bella exeteuit pro venatu.
 Justitiæ, quod ignoti incestus se conscium noscens,
 Brevem luxum diu luxit.
 Has ut laudes unico vocabulo constringeret Fatum,
Judam vocavit.
 Migravit in stirpem tanti nominis tessera,
 Nam Judæ Tribus, Tribuno similis,
 Justitia, strenuitate, magnitudine cæteras vicit,
 Hæsit nepotibus avita gloria pro stimulo.
 Qui ne nomine impares arguerentur,
 Numini pares esse debuerant.
 Eodem tituli augurio Regis dignitas fulsit:
 Quæ primogeniti annis debita, indebita vitis,
 A Rubeno ad Judam, ab Evirato ad Virum, transfugit.
 „Adeò facilius est nascisci Reges, quam nasci.
 Hujus imperio nullum majus.
 Nam longa perpetuaq; Regum linea decurrens,
 Deniq; in Dei humeris sedit.
 Ita Judæ solium fuit altius Sole.
 Nec cæco Providentiæ mysterio,
 In *Juda* nomine infandum Dei nomen invenias
 Addito *Delta*, quod *Januam* sonat.

Nam

Judæa Virgo Janitrix fuit, & Genitrix.
 Quanta hæc Judæ Gloria, quod sui Author Authoris
 Numen numeret inter Nepotes, & Judæus dicatur Deus.
 Sed, heu miseræ vices ;

Tanti nominis laudem simile nomen inficiet,
 Surgat *Juda* Anragonistes Judas,
 Hic Numen edet, ille proder.
 Sanctumq; os putri violans osculo,
 Suummet nomen contaminabit.
 Disce Viator avitos jactare fastos.
 „ Hominum est Virtus, non Nominum.
 Nam totidem literis Messia Patrem appelles; & Parricidam

JOSEPH
 JACOBI FILIUS.
 EULOGIUM.

Dulces Rachelis primitiæ Joseph
 Ut primus evadat, undecimus nascitur.
 Egregium aliquid meditante Naturâ,
 Quæ tot Exemplaria delineavit, ut unum absolveret;
 Paternæ virtuti, maternæ pulchritudini compar;
 Ut impares Fratrum mores de suo Typo corrigeret,
 In sopore Vigil,
 Pingente Somno, futuræ dignitatis expressit imaginem;
 „ Sed periculosa res est eminere.
 Per cognatum livorem
 Vivus humatur, exhumatus divenditur.
 Infelix Puer,
 Vel perimatur ne imperet, vel servetur ut serviat,
 Bis infelix,
 Ab Eunucho emitur, ut serviat Fœminæ.
 Ter infelix,
 Purus impuræ servit, ingenuus captivæ :
 Nam liberali mancipii specie Domina capitur.
 Hic inhonestum thalamum fugit:
 Sed voto repugnat forma. pudore aucta :
 Itaq; inverecunda procacius persequitur verecundum.
 Hic Domino, quam Dominæ obsequentior fugit :

Illa